

X I. Resolutio diuersa est, pro diuerso
textu, simplici videlicet, aut coniuncto.

X I I. Simplicis thematis textus resol-
uitur consideratis ac distinctis argumentis
sue terminis per quos thema explicatur.

Si textus sit simplicis thematis, confide-
rantur illa per quæ propositum thema ex-
plicatur & declaratur; an videlicet per suas
causas, per sua propria accidentia & effecta,
per cognata, similia aut pugnancia.

X I I I. Coniuncti thematis textus re-
soluitur, si vero statu & propositione textus
constitutâ, videantur argumenta tum pro-
bantia & refutantia, tum vero etiam am-
plificantia.

Hoc enim genus duplex argumentorum
diligentissimè à resolutore est discernendû,
ne ea inter se confundat. Non est huius loci
de analysi præcipere; pertinet enim ista do-
ctrina ad peculiarem tractationẽ de usu ar-
tis Logica.

X I V. Delectus in præcognitione tex-
tus didactici fit, cum forma docendi accura-
ta seu acroamatica, quæ in Scholis & Aca-
demiis tenetur, discernitur à forma docendi
populari; atque idcirco ea tantum in textu
tractantur, quæ ad popularem hanc docen-
di formam pertinent.